



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De Veneratione Sanctorum 40

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

ac Venetiis recusis. Græci non minùs quàm Latini quotidie aliquid in Veneratione sanctorum nouarunt, & interim honoribus ac cultui Christi detraxerunt.

Septima Pars.

Septima hæc Accusatio non minor calumnia est, præcedentibus. Liber Reformationis damnat eos, qui orationem ore tantum sine serua cordis attentione, & eorum quæ orantur perpensione, recitatam accumulantes, quasi in fasciculum colligentes peccata sua hoc modo expiare volunt. Aduersarij verò dicunt, Librum de Oratione sic loqui, quasi in satisfactionem peccatorum non debeat adhiberi. Quæ verba Liber non habet: & si haberet, malè tamen ab eo posita non essent. Fidelis enim oratio satisfactionem Christi exorat: non autem seipsam pro satisfactione præbet: contra quod nec Cyprianus, nec Basilius, quos Aduersarij hoc loco citarunt, loquuntur. Expiare enim peccata, & maculas ex peccato contractas eluere, nullo modo Orationi adscribunt, vt quæ per se tam præstans opus sit: sed quod per eam eiusmodi mundationem & sordium peccati abluitionem à Deo per Christum exoramus. Alioquin de vocabulo Satisfactionis, quomodo à Patribus vsurpetur, supra in articulo de Satisfactione dictum est.

Decima sexta Accusatio.

De Veneratione Sanctorum.

C A P. XL.

HX præcipuis venerationibus est etiam hæc decimasexta, de Inuocatione sanctorum, qui ex hoc mundo ad Dominum transferunt. Aduersarij posuerunt de Veneratione sanctorum, verum maiori ex parte de Inuocatione eorum controuertitur. In hac accusatione supra modum laborarunt Aduersarij in congerendo quicquid vnquam corradere potuerunt, ad fucandam & ornandam Inuocationem sanctorum. Ex erroribus verò & abusibus, qui tam multi tamq; horreni circa eam inualuerunt, ne vnum quidem vel minimo verbo redarguant. Quòd si cultus & vera inuocatio Dei tanto studio quæreretur, quantè diuitiæ & gloria huius mundi, dubium non est, quin in hoc tam periculoso & scandaloso negotio, multi se alios demonstraturi essent: Dominus cõuertat ad se quicumque sui sunt. Homines pij, qui alioquin non quærunt occasionem errores, mendacia & abusus conseruandi, & ædificationem Ecclesiæ perferre possunt, ij ex controuersia ista se facilè expedient, si de sequentibus quatuor quæstionibus ex verbo Dei se instrui passi fuerint.

1. *Quomodo sint venerandi sancti.*
2. *Vtrum fruamur meritis eorum.*
3. *Vtrum pro nobis orent.*
4. *Vtrum orandi sint, & pro nobis intercedant.*